

Diffi. X.
De
Angelis.
I.

Qui cum Balt. Beckkero vel angelis bonis malisve parum esse cum rebus humanis negotii, vel unum forte tantum in hoc mundo existere Diabolum propugnant, omni tamen vi suâ Diabolorum chiliadas ex mundo exigere non possunt.

II. Quam sententiam, cujusque fundamenta, pronam stenerem viam ad Scripturarum sacrarum contemptum, ipsamque Atheismum, dubitari nullo modo debet.

III. Idem incurrit periculum, qui cum Vandasio oracula Gentilium omnia meras sacerdotum Gentilium fraudes & præstigias fuisse, contra clarissimam historiæ fidem asseruerit.

IV. Stupida est recentis hominis persuasio, angelos ita in animam hominis penetrare posse, ut & secretas ejus norint cogitationes. Jer. XVII. 9, 10.

V. Angeli intra hexaëmerum conditi sunt, Hiob. XXXII. 7. Quo die? nec probabiliter quidem sciri posse putamus.

VI. Eorum notitia ex naturalibus argumentis probabilissimè elucescit.

VII. In assumptis corporibus neque edere proprie & bibere, neque generare possunt.

VIII. Non negandum est, quosdam morbos obsessioni Dæmoniacæ perquam esse similes, nunquam tamen fieri posse putandum est, ut naturali morbo affectus lingvas loquatur, quas nunquam audivit, didicitque.

IX. Beckkeriana ista temeritas, quæ obsessiones omnes, in Sacris relatas, pro Symptomatibus naturalibus habet, profanæ S. Literarum tractationis jure condemnatur.

X. Non absurdum est, hominibus à dæmone obsessis certis in casibus naturalia quoque adplicari medicamenta, argumento historiæ, Matth. XVII. 15. s. recensitæ. XI.